

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

«Vox Urbis» Ioanni Pascoli.

Ioannes Pascoli.

In memoriam Ioannis Pascoli.

Paedagogium. Carmen IOANNIS PASCOLI in certamine poetico Hoeufftiano an. MCMIV aureo numismate ornatum.

Ex Batavia. De certamine poetico Hoeufftiano an. MCMXII.

Disputationes philosophicae Modernistam inter et Thomistam.

De cognitione necessaria ad actum voluntatis.

Quaestiones philologicae. Quanam lingua scriptum Mane Tekel Phares?

Paroemiae sive Adagia. Aquam e pumice postulare. — Eadem chorda oberrare.

Templum Mariale apud Eremitas (Einsiedeln).

Ludi puerorum apud Italos. De Tingolo.

Colloquia lafna. Sero scholam petentes.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae: Ex Congregatione de Religiosis — Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

Diarium Vaticanum: Coram SSmo. admissions. — Pontificiae electiones.

Annales: Bellum inter Italos atque Turcas — In Mauritania — Quies in Sinis restituta.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Libri recens dono accepti.


Aenigmata.

Appendix: Anthea.

“VOX URBIS,, IOANNI PASCOLI

Quae laurea ab academia regia Nederlandica ex legato Hoeufftiano quotannis attributa, frontem Ioannis Pascoli, inter Latinos poetas nostrae aetatis praestantissimi, decima tertia vice redimire debebat, hominem d. vi mens. Aprilis mortuum heu! invenit, at comprehensionem illius mysterii tandem assequutum, ad quam per vitam omnem, sincero animo ac prope dicam puerili, intendit, nec tamen in terris percipere se potuisse apparuit.

Natus in oppido S. Mauri ad Ravennam d. XXXI mens. Decembris MDCCCLV, decimum et secundum aetatis annum agebat, quum pater eius Rogerius, Torloniae, Urbani principis, procurator, noctu, proditoria manu ad castrum Savignani occisus est, liberos sex in paupertate viduatae uxori relinquens, quae paucos post menses et ipsa prae dolore obiit. Hinc perpetua Ioannis moestitia et quasi exani-



matio, quam soror una, Maria, nomine, pia ac suavis foemina, vix permulcere valebat; hinc eius dubia atque haesitationes; hinc vero vis etiam et flamen illud poeticum circa ipsam mortem atque naturae vel simplicissimas res exprimendas, quae auctorem tantae eiusque tam singularis excellentiae illum fecerunt, qualem fortasse nemo, inter recentiores praesertim, habuit unquam.

Sed de viro eiusque operibus peculiariter suo tempore ac fuse dicemus; hodie defunctum adhuc loquentem in suo Paedagogio audire satis sit, eiusque Manibus, requiem sempiternam adprecantes, flores devovere, quos viri duo clarissimi, in Batavico certamine saepius eius laudum aemuli, Petrus Rosati et Franciscus Xaverius Reuss, nobis ultro detulerunt.

VOX URBIS.

IOANNES PASCOLI

Apud Hollandos Henricus Hoeufft, latinae linguae cultor amantissimus, annis abhinc LXX, ad latinitatis studium provehendum, certamen poeticum instituit, ad quod qui praestantius carmen quotannis undique gentium misisset aureo nummo quadringentorum florenorum ornaretur. Cuius rei nuncium ubi fama vulgavit poetae non pauci, Itali praesertim, in certamen descenderunt, quorum quidam praemium carptim tulerunt; qui vero paene continenter singulis annis per aliquod tempus aureum nummum meruerunt duo tantum insignes viri numerantur Petrus Esseiva Friburgensis et Ioannes Pascoli noster. Hic, ut in Italicis Poematiis Vergilium et Catullum praecipue fuerat secutus, quibus Italorum animos sibi valde devinxerat, cum ad latine scribendum se contulit, Horatii stilum strenue imitatus, ex quo etiam plura argumenta deprompsit, statim Iudicium Batavicorum admirationem ad se convertit, quae semper incredibilem in modum aucta est, eorumque mentes carminum pondere, elegantia ac splendore ita perculit ut ei per annos tredecim aureum nummum deferre non dubitaverint.

Magna vis aemulationis. *Ioannes Pascoli* exemplo perciti latini poetae maiore contentione ad carmina scribenda incubuere tanto successu, ut Humanistarum saeculi XVI tempora rediisse, imo superata fuisse videarentur. Extremis vero hisce temporibus, is cursus atque ea progressio ad latinam poesim facta est, ut in certamine Hoeufftiano quotannis non unus sed plures praemio digni haberentur, et Iudices haererent cuinam illud adiudicarent. Semper vero prae ceteris eminuit *Ioannes Pascoli*, cui omnes cedere debuerunt.

Eius Carminum quae in certamine poeticō aureo praemio snt donata tituli hi sunt:

Veianius MDCCXCII — *Phidyle* MDCCXCIV — *Myrmedon* MDCCXCV — *Coena in Candiano Nervae* MDCCXCVI — *Reditus Augusti* MDCCXCVII — *Sosii fratres Bibliopolae* MDCCC — *Centurio* MCMII — *Paedagogium* MCMIV — *Fanum Apollinis* MCMV — *Rufius Crispinus* MCMVI — *Pomponia Graecina* MCMX — *Fanum Vacunae* MCMXI — *Thallusa* MCMXII.

Quod extrellum carmen ita Iudicibus placuit, ut illud appellare non dubitaverint summi cantoris opus eximum quo vix cogitari quidquam possit praestantius.

Tam splendidum iudicium, verissimumque praecōnium *Ioannes Pascoli* audire non potuit, qui magno cum detimento latinae poeseos, moerentibus Italis externisque, postridie nonas Aprilis hnius anni MCMXII, annos natus LVI Bononiae decesserat.

PETRUS ROSATI.

IN MEMORIAM IOANNIS PASCOLI

Qui haec scribo, defletum Ioannem Pascoli nunquam vidi coram, etsi in votis erat insignem hunc vatem, Latinae non minus quam Italicae poetices ornamentum, praesentem aliquando videre. Perlegi tamen, idque non semel, quotquot ex eius carminibus latinis comparare mihi licuit: quae quidem eo magis admirabar, quo saepius relegerem. Primo enim conspectu (quod etiam ab aliis audivi, iisque latini sermonis scientissimis) nonnulla apparebant, satis difficultia intellectu. Cuius rei causa erat, aut ego fallor, immensa auctoris eruditio, quae uno saepe verbo ad facta alludebat, in latinis sive historicis sive poetis memorata; quae si quis praesenti memoria non teneret, sensum aut vim certe dictorum vix percipiebat. Iterata vero lectio, umbras hic illuc offusas disiciens, summam plenamque legenti parabat voluptatem.

Etsi tamen Ioannem nostrum nunquam allocutus sum coram, semel eum scripto adivi, atque ipse benignus mihi rescripsit.

Quae res ita se habuit. In certamine Hoeufftiano anni MCMII, Ioannes Pascoli aureo numismate donatum vidi suum « Centurionem, » et ego meum « Rus Albanum » habui magna laude ornatum. Tum ego, gratulans victori, meam opellam ad eum misi, addita prece, ut mihi vicissim suum remitteret carmen. Quam precem, si recte memini, stropha sapphica expressi. Ioannes autem summa benevolentia votis meis annuit, misso volumine, in cuius fronte, die XIX mens. Maii eiusdem anni, ex urbe Messana scribens, hoc exaravit distichon, quo significabat, rus meum Albanum non indignum sibi videri, quod legendo inviseret:

*Te, Rus Albanum, cupiebam visere. Vidi
et cupio Reusso visere vase magis.*

FRANCISCUS XAV. REUSS.

PAEDAGOGIUM

Carmen IOANNIS PASCOLI in certamine poetico Hoeufftiano an. MCMIV aureo numismate ornatum.

Forte Palatinae pueris ludentibus aedes
fervebant. Princeps aberat Pius urbe Severus
cum tandem muro Pictos arceret et armis.

Multus at ipsius procul in penetralibus aulae
obses alebatur deductosque undique Romam
libera servabat teneros custodia reges.

Litterulas ibi discebant ferulamque piumque
Vergilium, et nitidae nudabant membra palaestrae:
et nucibus locus et discis, et tempus erat, cum
iret in occiduos radio trochus incitus orbes.

Obliti patriae, nebulis seu fumida late-
sive oriente ferox illis sub sole iacebat,
ludebant pueri: follem mittebat Hiberus,
excipiebat Arabs, nucibus quae struxerat Afer,
collabebantur iactu castella Britanni.

Hinc iocus et parvae magno cum murmure rixae.
Ut cum deiectus subitis de nubibus imber
diversas oppressit aves et adegit in unum:
omnigenae coeunt in densum frondibus hortum
aut nemus impluvii, et tacitae, dum detonet, una
sub foliis latitant, ubi nescit passer alaudam
iuxta tendentem necnon acalanthida parus:
vix autem coepit per destillantia circum
omnia ramorum splendescere versicolor sol,
altera iam plaudit, iam pipilat altera, mussant,
pileolum de fronde rubens haec exserit, atrum
illa galericum, dein ludunt, en micat alis
omne nemus variisque sonant concentibus aedes.

— Heus tu (crine nigrum rutilus puer ipse capillo
increpitat puerum) Syre vel Chaldaee vel — Est mi
nomen Alexameno — Curto succede trigoni
tertius — Hos immo versus ediscere malim

TU REGERE IMPERIO, qui mox proferre iubebor. —
Constitit in verbo cum iam secretus abiret
multiplici rapta membrana — Linque libellum
hunc sordescensem tineis atque excipe nostram
rite pilam — Tiro, Karei, prorsus in isto
sum lusu — LUSUS, sapiens ait ille, MAGISTER
OPTIMUS — USUS id est, teneo si verba monentis. —
Ambo riserunt: hic lenius, omnia quippe
discolor et faciem vocemque et membra sodali,
exilis glauaque genas suffusus oliva.

Qui tunc arridens: — Alias colludere certem:
nunc sine: nam crebro stomachatur grammaticus, quod
in latiis verbis tamquam peregrinus oberrem.

— Nonne loqui graece, velut est qui cretus Athenis,
me iubet Oceani maris ipso in litore natum?
At lavet Aethiopes putidus sine graeculus. Adsis.
— Ignoscet mihi tu: cupio voluisse videri.
— Quid? Nonne in graecis peccamus vocibus ipsi

saepius ac iam tu, puer ambitiose, latinis?

— Non ita, pace tua: quin me sic corripit, ut iam
me pigeat dare verba seni — Palparis asello,
ne feriat — Non sic, qui possit iure, vocat nos
praceptor — Tortor potius sine fraude vocandus.

— Quin pius est — Si te mala crux iuvat, utere porro.

— Quid loqueris? — Sunt quos et crux delectat — Ain tu?

— Restat ut et turpem pecudem venereris, ut isti
fossores, panem qui mixtum sanguine rodunt.

Nam quid secedis? quid muttis usque? quid arcis
et fugis aequales? utne, hoc sed credere nolo

ridiculo cuidam, dicas sua carmina Christo? —

Inde pilam versans dextra laevaque — Quid? — inquit:
ludis? Alexamenos nihil his respondet, at oris

iam velox aquilum lambebat flamma colorem:

iamque hiat et resilit. Madefiunt lumina fletu:

obvertit faciem. Tum quam Kareius habebat

in manibus, libravit agens multaque pilam vi

impedit puero: subitoque exarsit in iram

laesus Alexamenos: qui Gallum mole valentem

assultu petit, e viridi velut exsilit ulva

Euphratis patrii subtili corpore pardus.

Inceptam saeva sed pugnam voce diremit

obvius et ferula custos, Gallumque rebellem

arripuit, sanctum puerum qui laeserat ultro,

atque in contiguum foribus conclave reclusis

impulit increpitans obluctantemque coegit.

Hic pugnoque fores terramque diu pede tundit,

et lacerare genas et rufum scindere crinem

pergit, et absenti dirus modo multa minatur

vociferans, modo submissim suspirat inultus,

alteriusque odio se rursum plectit et odit:

donec inexpleto singulu pectora ducens

in graphio tacitus, quod ibi pede presserat, haeret.

En graphium rapit, en paries inscribitur asper.

Crux oritur dupli de muri vulnere: corpus

humanum cubitis suffigitur in cruce late

explicitis, transversa pedes at linea fulcit.

Tum fixi est hominis cervix asinina caputque

auritum. Iam non scribentis lumina turgent.

Dein facit adstantem pecudique in stipite fixae

oscula praebentem puerum seu thura sinistra.

Iam non singultit Kareius. — Quis neget — inquit,

hunc ipsum puerum purum putumque videri?

Sed ne quis dubitet, iuvat ipsum scalpere nomen.

Utar, ut in graeco, graecis verbisque notisque.

Non, licet exciderit, mendum venabitur auceps

hie unum quodvis. — Tunc tristi nube solutus

scribit ΑΛΕΞΑΜΕΝΟΣ ΚΕΒΕΤΟΣ ΘΕΟΝ, et sibi plaudit.

At vergente die, cum longius omne sonaret

murmur, et ipse magis solum sentiret in umbris se puer, en abeunt quae riserat omnia quaeque fleverat, ira cadit, linquunt mala gaudia mentem. Quidquid erat nuper, nihil est: effluxit: at adsunt quae procul atque olim, nec iam redditura, fuerunt. It iussus cubitum. Notos torus excipit artus. Emicat extremum lychnus. Vix ordine vidit incertos circum tenebris et nocte grabatos. Obruerat pridem consortia corpora somnus, et levis implebat puerorum spiritus aulam. Ipsi nulla quies, et menti multa recurrunt. O pater! o genetrix! o nigra consita querent tellus et sparsum cani maris aequor alutis! Omne ibi permissum, nisi quod pater ipse vetaret: verbera quae, mater, nolles avertere, nulla. Quos ubi nunc putet esse? quid omnia vivere passos? aut quibus in latebris aut qua tellure sepultos? Nil praeter maerere datur, modo corde tenus: nil tam multos prodest socios habuisse doloris. Dum vigil haec secum meditatur, forte sodalem sensit adhuc alium prope se vigilare, moveri. Auscultat. Lecto sensim delabitur ille, tangit humum genibus, tenebris si credere par est. Noscit Alexamenon Kareius. — Quid dolet? inquit, quemve deum videt in tenebris? quid poscit et orat? — O PATER, ille infit tenui proferre susurro, QUI CAELOS HABITAS. — Nox cetera sorbet, et aurem confuso feriunt intentam murmure verba. Tandem Kareius suppressa voce: — Mihi tu ignoscas, precor. — Attonitus respondet: — Et ipse, Karei, vigilas? — Frustra dormire labore. — Hoc, ignosce, mea tibi culpa contigit — Immo ultro ego te laesi — Debebam ferre sodalem atque aliquam misero veniam dare. Num dabit alter, si mihi tu, frater, tibi si miser ipse negaro? Cura tibi sensus ipsis in lusibus angit tristior — En unquam patriam dulcemque revisam matrem? Nam carum despero posse parentem. Ex quo sum miser heu nimis et nimis improbus idem. Haec fatus lacrimas fundit Kareius, et umbram praetentat, dextram dextrae iuncturus amicam. Surgit Alexamenos maestoque dat oscula maestus, et gaudent lacrimis socioque dolore fruuntur. Circumstat nox alta silens tenebraeque soporae. Interdum sonat in somnis hinc fletus et illinc alterius balbis subito querimonia verbis. Kareius — Cur, inquit, ego te saepius ira exerucior? — Frater, quia sum minus ipse miser te: inquit Alexamenos — Quid? tu non exul item? non orbus item patre, matre pia? non solus et expes? Aut tibi compertum est aliqui superesse parentes? — Compertum nihil est — Ergo? — Sed mater eunti constituit mihi fida locum quo visere rursus complectique iterum decreto tempore possem. — Quemne locum? — Caelum — Quis erit tibi dux? — Deus — Illen a quo poscebas aliquid modo, nec mihi prorsus nec tibi conspectus? — Videt ambos ille — Putemne Theutaten quandoque ducem per opaca viarum affore? — Quin Deus hoc Deus uno nomine nobis.

— Morte quidem potior? — Iam desiit esse sui mors: servit, et ipsa domum nos quandcumque reducet. — Cur haec ore diu pressisti magna, sodalis? — Extremum complexa tenens in litore mater abiurare nihil, nihil ultro prodere iussit. — Nescioquae misero solatia maesta dedisti. Nunc sommum capiam. Nemo mihi carior est te. Obdormi — Frater, tranquilla in pace quiescas. — Coepit uteque puer placide dormire: diuque conticuere: levi cum Gallus voce: — Quid, inquit, saepe vocas fratrem? — Deus est pater omnibus unus. — Qui caelos habitat Deus? — Et quo rege resurgas et vivas demum — Et liceat mihi visere matrem. — Praetor Alexamenon, pueris adstantibus, ad se mane vocat — Sapiens, inquit, frugique videris esse puer, quamquam scimus rumore vago te iampridem laedi. Rumor pererebruit: ipse nunc paries loquitur. Te rodunt, optime, Christo addictum, pecudique pium dare thura — Quid, inquit, cum pecude est commune pio? — Neque cum cruce, opinor. Crux linquenda malis latronibus et fugitivis illa. Crucem corvi venerentur iure. Tacesne? Sed ne plura, puer, domino nostroque tuoque cognomen scis esse Pio nomenque Severo. Iam Christo maledic — Benedico — Pessime, legem nosti — Lex Christus, dominus Deus est mihi — Castis a pueris discede. Veni. Mihi salvus erit grex. Decedas cum peste tua dum pestifer unus. — Falleris: ecce alium: — exclamat Kareius, et offert se fratri, iunctaque manu comitatur euntem.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano an. MCMXII.

Accepimus, et libenter edimus:

A. d. V. Idus Martias in conventu Ordinis Litterarii Regiae Academiae disciplinarum Nederlandicae a iudicibus ita est relatum de XXXII carminibus, quae ad tempus iis fuerant tradita.

Statim abieciimus, ut prorsus hoc certamine indigna, carmina inscripta: *Pestis in Mantsjouryia et Tria Carmina*; neque multo diutius nos tenuerunt ea quorum tituli: *Paraenetica oratio ad puerum*; *Menippus*; *Ad Torrem Aquinatem*; *Eὐρρόνη*.

Parum placuerunt octo carmina, in quibus tamen aut virtutes alias, aut certe laudabilem voluntatem apparere minime negamus. Haec inscripta sic erant: *In Romam sollemnia libertatis agentem*; *In gentis Italie Floram*; *Post Romanam Italiae in libertatem vindicatię restitutam*; *Sibylla Cumana*; *Agrippina Neroni*; *Christus dominus ad coenam ultimam*; *Roma*; *Ludi populares*.

Magis probabantur octo alia, quae non esse in lucem edenda post aliquam demum decrevimus deliberationem. Horum tituli hi erant: *Sensus ratioque*; *Fa-*

bulae; Ad Crucem Rubram; Andromache; Aliae Matri; Urbi Italiae Capiti; Barbara; Pacis sequestra et Templum Mariale (duo haec ultima eadem fuerant munita scidula).

Restant decem optima, quae lubenter pubblici iuris facimus, lectu iucundissima, vera verorum poetarum atque artificum opera. Eorum titulos sic enumeramus, ut quo quodque est praestantius eo posterius nominetur: *Ad Rhenum fluvium; Tupac Amaru; Strages infantium Bethlehemitarum; Plotinus; Villa Syronis; Eunus; Lydia; Venator*, denique *Solatiolum*, carmen suavissimum, tersissimum, lepidissimum, cui haud dubie obtigisset praemium, nisi cum eo in certamen descendisset *Thallusa*, summi cantoris opus eximium, quo vix cogitari quidquam possit praestantius. Hoc quin aureo esset ornandum praemio non dubitavimus; atque aperta scidula prodiit nomen illud nobis notissimum atque ubique terrarum clarissimum *Joannis Pascoli Bononiensis*.

Novem illa, quae proxime ante *Thallusam* enumera vimus, sumptibus legati Hoeufftiani in lucem emit tentur, si eorum poetae nobis *ante kalendas Iunias* scidularum aperiendarum dederint veniam. Hanc iam dederunt Franciscus Xaverius Reuss Alsatinus, qui *Stragam infantium Bethlehemitarum* cecinit; Antonius Faverzani Meratensis, *Lydiae* poeta; denique Petrus Helbertus Damsté, professor Traiectinus, cui lepidissimum illud debemus *Solatiolum*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manuscripta, sumptu suo ante Kal. Ian. anni proximi mittant ad *Hermannum Thomam Karsten*, ordinis litterariorum Academiae Ab-actis, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibebunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae veniam dabitur. Hoc *ante kalendas Iunias* fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, Kal. April. MCMXII

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE
Ordinis Praeses.

Longum est ac difficile iter ad virtutem per praecepta; breve et efficax per exempla; magnosque viros non tam schola, quam Socratis contubernium genuit.

SENECA.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM⁽¹⁾

De cognitione necessaria ad actum voluntatis.

MODERNISTA. — Tu igitur contendis amorem beatitudinis seu boni, seu iterum perfectionis in communi, esse intrinseco a natura, seu naturalem atque necessarium. Inde tamen dubium nonnullum mihi suboritur, quanam nempe ratione amor ille possit esse merito dignum, quum nihil naturale videatur esse liberum, neque proinde meritorium.

THOMISTA. — Attamen, amice carissime, advertas, rogo, difficultatem tuam exinde oriri quod supponas ex illa naturali necessitate perimi quamecumque libertatem, quum tamen sub illa remaneat integra libertas obiectiva, ex qua salvatur omnino meriti ratio. Actus scilicet nostri non sunt liberi proindeque meritorii quatenus sunt ex amore boni in communi, sed sunt meritorii, vel secus, quatenus sunt ex amore boni in particulari, seu felicitatis repositae in aliquo bono particulari, vero aut apparenti. Ita perspicue Angelicus: « In appetitu beatitudinis semper cum eo quod est naturale coniungitur quod non est naturale, et sic potest ibi cadere ratio meriti vel demeriti »; quia nempe « quamvis nullus possit vitare quin beatitudinem aliquo modo appetat, potest tamen vitare quod non appetat eam hoc modo quo est appetenda, et sic potest mereri vel demereri ». (2) Quod etiam patet ex familiari modo loquendi. Si enim ab aliquo quaeras curnam istud faciat, respondere primo debet: Istud facio quia facere placet; nullus enim agit humano modo nisi quia agere, etiam displicentia, placet. Et quia huiusmodi responsio necessario vel detur vel supponatur, exinde non habetur ratio meriti aut demeriti. Si autem ulterius quaeras curnam ipsi istud facere placeat, tum incipit ratio utriusque, prout nempe amor ille boni in communi, hoc vel illud, ordini consentaneum vel dissonum, quo medium ad illam beatitudinem attingendam elit. Vel si nonnullum ratiocinium syllogistice sic instituas: Ego volo beatitudinem: atqui beatitudo consistit in hoc bono particulari (verbigratia divitiis, vel paupertate); ergo istud volo. Nulla ratio meriti aut demeriti in propositione maiori includitur; sed reipsa in propositione minori, quatenus istud bonum particulare reipsa conforme est vel difforme amori beatitudinis in communi.

M. — At vero, et quidem e regione, ut obiter notem, nonne concedi potest et in maiori illa propositione nonnihil meriti aut demeriti includi, siquidem amor boni seu beatitudinis supponit etiam quid liberum atque inde meritorium aut demeritorium, eo quod supponit bonum illud amandum cum iudicio obiective indifferenti?

(1) Cfr. sup. num. III.

(2) IV Sent. dist. 49. q. 2. a. 3. 1^{ma} et 2^{ma}.

T. — Sed tamen, repono, contradictionem in terminis implicat quod bonum essentialiter et ratione sui amabile, qualis est beatitudo in communi, sit insimul et ratio se amandi et ratio se non amandi. Unde cognitio directa, qua proponitur bonum in communi ut amandum, est determinata prorsus ab ipsam natura, ut proponens bonum essentialiter amabile, eamdemque sequitur amor intrinsece necessarius, licet supposito prius amoris actu in eundem finem, possit, sicut et alii actus naturales aliquatenus, cadere sub usu libertatis, ut antea dictum est.

Atque inde habes in homine dari naturalem necessariumque amorem boni in communi: ex quo amore proceditur ad amanda bona particularia, seu hoc vel illud bonum particulare, verum vel apprens, prout revera vel falso connexum cum vera beatitudine. Immo habes hominem non posse ad bona particularia sese determinare, nisi ex illo amore boni in communi, non quidem speculative modo, sed etiam practice. Voluntas humana, inquam, non se applicat libere et determinat ad amorem boni in communi, sed applicatur et determinatur propria natura, proprio instinctu, ex iudicio naturali, qualia Deus indidit, et indit, et conservat: sed ex hoc tamen amore procedit voluntas ad bona particularia amanda, et quidem libere sese applicat et determinat, quatenus in istis nonnihil partim relucet boni in communi. Inde dicitur imprimis homo a divina providentia ad opus applicari, quia non agit nisi imprimis ex illo iudicio a Deo etiam practice determinato, unde procedit, et quidem non determinate sed libere, ad iudicia particularia de particularibus bonis, quod infra sumus explanaturius. Id sibi sane vult Divus Thomas, ubi haec et similia pronuntiat, nempe quod «operatio causae secundae semper fundatur super operationem causae primae et praesupponit eam,» ut causam scilicet coniunctam, et ideo oportet quod «omnis operatio animae procedat ex suppositione eius quod inditum est animae ex operatione primi agentis, scilicet Dei». Et infra: «Unde ex impressione primae causae Dei insit, quod bonum (homo) velit, et perfectum bonum tamquam finem ultimum appetat; impossibile est quod contrarium eius in oppositum illius cadat». (1) Illa igitur impressio primae causae quae facit ut intellectus humanus iudicio necessario, voluntasque determinatione naturali bono in communi adhaereant invincibiliter, non male aliquando praemotio dieta est, siquidem Deus reapse praemovet animam humanam ad hanc adhesionem, etsi haec prima praemotio non inferat libertatem in creatura rationali, dum ceterum alia datur quae libertatem inferat, ut mox infra dicturi sumus.

M. — Quae mihi clara et perspicua videntur, hoc solum excepto quod non appareat quales Deo partes tribuendae sint in ipsam boni contingentis electione humana.

T. — Ista nobis, Deo favente, ex dicendis patebunt.

(1) IV Sent. dist. 49. q. 1. a. 3.

Id solum hic interim notatum volo, quantum scilicet admiranda appareat providentia divina circa humanas actiones. Deus scilicet voluntati naturam ad bonum seu perfectionem indidit, imo hic et nunc facit, siquidem conservatio nihil nisi creatio continuata definitur, eamdemque ad bonum praesens mobilem perpetuat, eodem prorsus modo quo creaturas universim ad propriam perfectionem per naturam movet. Voluntas vero perfectioni propriae per amorem indeclinabiliter adhaerens, mediis ad eamdem acquirendam indigens, inde iam ad substantiam exercitii electionis determinatur, ad eligenda nempe exercite media, licet non determinetur ad eligendum hoc vel aliud medium in individuo, et seipsam e contra ex consilio libero determinet, sive de agendo reipsa vel non agendo, decernens inter contradictoria, sive de hoc vel alio agendo, decernens nempe inter contraria.

Ex quo sequitur cum amore finis, seu electione, quatenus respicit finem, actum ipsum electionis inseparabiliter connecti ad eundem finem, ita ut ad praesentiam iudicij bonum in communi et absolute resipientis, voluntas ad illud naturaliter feratur et tendat, nisi impedita aliunde sit.

Hinc rursus patet qua ratione primo actus creaturæ rationalis, non secus atque actus omnium creaturarum non sint partim a Deo, partim a creatura rationali, sed totum quid a Deo, et totum quid a creatura, neque causalitas divina et causalitas humana tanquam parallelae habendae sunt, sed tanquam subalternatae.

M. — Quae mihi patere videntur de electione boni in communi, deque tendentia a Deo ingenita ad illud. Remanet tamen intricatior forsan quaestio enucleanda de electione bonorum in particulari; quam, ante multum tempus, pro tua benevolentia, enucleari a te peto.

T. — Ita prorsus, carissime. Te interim valere iubeo ex intimis.

I. I. B.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Quanam lingua scriptum *Mane Tekel Phares?*

Hac inscriptione notatam quaestionem solvere co-natus est defunctus iam L. W. Szczerbowicz, homo noster, anno MDCCXCIX in num. VIII *Vocis Urbis*.

Hoc argumento nisus, quod inter multos viros doctos et eruditos, qui ultimi convivii Baltazaris regis participes erant, nullus minacem illam, in pariete manu secreta scriptam, inscriptionem *Mane Tekel Phares* intellegere potuit, quoad Daniel, vates iuvenis, sensum explicuit, Szczerbowicz hanc suppositionem suam demonstrare studuit, verba illa ex lingua Romanorum decerpta, ideoque, ut verba populi, tam procul a Babylone habitantis, sapientibus orientis incognita fuisse.

Quam suppositionem ut firmaret probaretque, verba illa mutabat in latina *Mane te cellet Phares*, ubi *Phares*, ut docebat, *Persam* significat, *cellet* autem pro composito *percellet* positum est.

Huiusmodi explicationem eius repetiverunt nonnulli commentarii publici nostri Poloni et ephemerides, nulla censura aut consideratione addita. Tum iam rem et ego sum aggressus, et in commentario *Przeglad Katolicki* (num. 35, a. 1899) ita, ut infra, consideravi.

Quam considerationem, quamvis seram, spero non fore, ut *Vox Urbis* repudiet.

Hominis nostri ingenii acumen magnopere miratus, valde hac re Romanos Italiae delectari atque gaudere posse putavi, si re vera demonstrari posset remotissimis iam temporibus linguam eorum a Deo ad tam gravia negotia usitatam fuisse. Quam novo enim splendore micaret tum Roma, cuius iam ipsum nomen tam arcano et mirifico modo, est creatum, ut et significationem virium et, retrolectum, *amorem* indicet et, aliquoties voce repetitum, *Maronem* illum, splendidissimum poesis latinae artificem, in memoriam revocet!

Amor, poesis, vis quam praeclare coniuncta! Sed utinam ne erraret auctor rei et si qui eum sequuntur! Primum enim: unde lingua latina iam illo tempore, scilicet anno DXXXXVIII ante Chr. n., in remoto Oriente emicuit? Quae in ipsa Urbe vix notescere coepit, quum et ipsa Roma, etiam tum civitas exigua, et lingua incolarum incunabulis obvoluta essent, atque modeste paulatim pree maiore Graecorum Italiae inferioris cultura et Italiae superioris Etruscorum potestate utrumque accresceret?

Sed esto; consentiamus linguam latinam quoquo modo iam tum longinque in Orientem trans mare migrasse, quamquam Romani artem navigandi initio demum bellorum punicorum exercere cooperunt; — tria saecula non res parvula; — ne negemus Danielem et linguam latinam cognitam habuisse; credamus igitur auctori *Mane* vocem inscriptionis esse latinam; concedamus vocabulum *Phares* esse corruptum nomen Persae, quamquam nullo auctorum latinorum loco confirmari datur: qua tamen ratione philologica evolvenda sunt ex una voce *Tekel* duo vocabula « *Te cellet* »?

Non docet auctor.

Greco-latina pronunciatione adhibita syllaba *cel*, comparari quidem potest cum *kel*, ut Cicero hellenice pronunciat *Kikeron*, eoque magis, quod inusitatum alioquin verbum quoque *cello* Graecorum ξέλλω in mentem revocat; sed unde sumitur altera syllaba *let*?

Potest nonnunquam evanescere ex syllaba vocalis (saeclum=saeculum), ut omnino linguae nonnullae vocalibus non abundant aut, ut hebraica, prorsus carent; sed consonantes *l + t*, ut quae vocabuli radicis partem efficiant, nunquam perire neque possunt neque debent

et quidem hic in voce, in quam auctor sententiae nucleus inclusit, cum *te cellet* inquit.

Eiusmodi igitur coniecturas et conclusiones etymologicas methodus et ratio philologica admitti non sinit, quare quaestio etymologica non literate soluta arbitranda est; neque iam id reputari necesse est simplicem vocem *cello*, excepta forma « *celsus* » pro « *ex-celsus* », nusquam, ne apud poetas quidem, reperiri eoque minus eo sensu, qui hinc poscitur; primitiva enim significatio verbi « *cello* » par est graecae, ubi verbum illud « *admoveare* » aut « *appellere* » significat, non « *percutere* » aut « *percussere* ».

Animadvertisimus iam deinceps quaestionem syntacticam.

Verba *Mane Tekel Phares* (aut *Fares*) vulgo ita ratione mechanica scribuntur atque excidunt ab auctoribus, qui libellos biblicos Veteris Testamenti ad usum scholarum destinatos edunt. Sed si codicem hebraicum inspicimus, rem prorsus variam invenimus.

Linguae hebraicae, cui quondam iuvenis studueram, notitia valde manca iam et debilissima quidem remansit; nam quae sunt mihi arma, quibus rem aggredi audeo? Seio adhuc, id quod sincere profiteor, utut scripta hebraica legere; per pauca vocabula atque leges grammaticae memoria tenentur. Heu me miserum, qui rem neglexi et paene plane oblitus sum! Sed et ea, quae restant, ad rem perscrutandam sufficere videntur, et... *audentes fortuna iuvat*.

Itaque in codice hebraico non *Mane Tekel Phares* legimus, sed *M^ene m^ene t^ekel wufarsin*.

Neglecta iam singulorum verborum disceptatione etymologica, si eorum significationem in lexico quaerimus, invenimus, ut in memoria haeret, syllabam *wu* nonnunquam (ut hinc ante verbum *farsin*), scribi *w^e* (1) quae syllaba vim latinae coniunctionis *et* habens semper sequenti vocabulo praefigitur.

Quem sensum igitur praestaret in disceptatione Szczerbovicii haec coniunctio, quae aut duo coordinata vocabula in enunciatione contracta, aut duas separatas enunciations coordinatas coniungere solet? Atqui celiari hinc coniunctio illa non potest. Quid igitur accipimus? *Mane te cellet et Phares*.

Quid sibi vult *et* in ea enunciatione?

Iam, opinor, una haec res luculenter monet considerationem auctoris illiteratiorem fuisse.

Sed adspiciamus et reliqua verba et formas earum hebraicas aut potius chaldaicas. (2) Qua in re, ne me scientia sua falleret, percunctatus sum non solum virum linguae hebraicae magistrum peritissimum, sed etiam lexicon comparativum Ioannis Boxtorfii: « *Concordantiae bibliorum hebraicarum et chaldaicarum*. (Stettini) ».

(1) Vide gramm. hebraicam Faskulski, § 70, 1.

(2) Ibid., § 1, 3, C.

Inveni omnium verborum formas esse chaldaicas, non puras hebraicas, et quidem formas verbales modi infinitivi, quae significant: *numerare*, *ponderare* (et) *dividere*. Qui modus infinitivus usitabatur etiam pro imperativo, ut in antiqua lingua graeca idem nobis occurrit praecipue in carmine Homeri, ut et hodie in lingua polona dicitur *milczec!* (tacere!) pro *milcz!* (tace!) aut *milczcie!* (tacet!) ; aut lingua germanica *still schweigen!* pro *schweig!* aut *schweigt still!*

Iam ex iis, quae modo dicta sunt, luculenter coniici potest his tribus verbis minacibus chaldaica dialecto in pariete excusis non solum significationem infinitivam, sed etiam sensum imperativum contineri posse, quamobrem ante tertium vocabulum logice coniunctio et est posita.

Sed tamen sint ne hae formae omnes modi infinitivi, necne, aut quae propria eorum debeat esse significatio, id nobis supra memoratum lexicon interpretetur.

Forma *manah* est forma actionis perfectae, quae vertitur latine *numeravit* quaeque vocalibus tantum mutatis praestat modum imperativum *m^{en}eh* (numera).

Forma verbalis *t^{ek}el* est forma actionis perfectae (ponderavit); sed iam formam imperativam in lexico non invenimus, quae, ut supra vidimus, mutatis tantum vocalibus discrepat.

Aggrediamur vocabulum tertium *wufarsin*. De prima syllaba *wu*, quae coniunctio est, iam disputavimus. Quid est reliquum *farsin*?

Lexicon praestat formam verbalem *feres*, quae etiam est forma actionis perfectae (divisit); *wufarsin* autem secundum lexicon exprimit actionem praesentem (et dividunt).

Quid iam ex omnibus, quae dicta sunt, coniicere licet? Nil aliud, nisi verba ea, si omnia formas easdem verbales praestarent, ita sonare debere: *manah t^{ek}el (wu) feres*; vertenda latine: *numeravit, ponderavit, (et) divisit*.

Sed primum eorum *m^{en}eh* habet vocales modo infinitivo (=imperativo) proprias, alterum vocales actionis perfectae, tertium autem exprimit actionem temporis praesentis:

Etiamsi nullas liberiiores conjecturas admittamus, sed formas eas, ut demonstravimus, probemus et verteramus, iam sensus iudicii secreti clarus esse potest; *Numerare! ponderavit et dividunt*. Sed, ut etiam linguae hebraicae peritissimus ille supra dictus magister affirmavit, et tertia illa vox proprie formam (*wu*) *feres* habere debuit, quae respondet voci latinae (et) « *divisit* »; id quod iure coniici potest, propterea quod veteres Hebrei sine vocalibus scribere consueverunt, ut etiam nunc multi faciunt, quamquam ex saeculo septimo post Christum natum signa vocalia inventa vulgo adhibentur.

Ne multa iam, si omnia verba explicanda haberent vocales modi infinitivi imperativa significatione praediti,

sensus esset hic: *numerare! ponderare! dividere!* si autem vocales temporis perfecti inserantur, habebimus: *numeravit, ponderavit, divisit*.

Nolo iam rem alia suppositione iuvare formam verbalem actionis perfectae pro forma et significatione modi imperativi usitari potuisse, ut etiam nunc vestigia in linguis quibusdam remanent: in lingua polona pro imperativo *idz' precz!* (apage) cum indignatione forma temporis perfecti *poszedt precz!* adhuc in usu est.

Sed quid denique haec omnia? Nonne et ita, ut verba illa in textu hebraico — chaldaico leguntur, sensus eorum Danieli clarus esse potuit iam ante patratum factum, ut nobis clarus est post factum? Secretus quidem sensus est, at vates fuit.

Quod autem aulae regiae sapientes linguam eam non intellegebant, — tales illi sapientes aulici erant. Nulla eorum sapientiae vestigia historiae mandata sunt. Res satis et nunc vulgaris. Quid superbis, inhumanis espongatoribus lingua suppressorum opus est? Non solum interdum non digna, quae cognoscatur, videtur, sed contra etiam eradica putatur.

Ita volentes nolentes Romanos hoc gaudio privare cogimur verba illa biblica *M^{en}eh t^{ek}el wufarsin* maiorum eorum lingua scripta fuisse et « Mane te cellet Phares » sonuisse.

Varsaviae Polonorum.

JOSEPHUS WABNER.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Aquam e pumice postulare.

Hoc est: frustra ab alio petere, cuius ipse a quo petas maxime sit indigus. Nihil enim pumice lapide siccius, nihil siticulosius; perinde ac si quis ab indoctissimo doceri postulet, ab inconsultissimo consilium exspectet, ab egeno munus, ab inope praesidium, ab avaro ac tenaci pecuniam. Plautus: « Nam tu aquam e pumice nunc postulas, qui ipsius sitiat ». « Pumex — inquit idem — non aequae est aridus, atque hic senex ». Est autem pumex lapis cavernosus, naturae adeo siccae, ut, si in urceum bullientem immiseris, fervorem extinguat.

Eadem chorda oberrare.

Horatius in *Arte poetica* sententiam haud dissimilem dissimili metaphora extulit:

Et citharoedus

Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.

A cantoribus ducta translatio est, quibus vehementer foedum sit in iisdem fidibus saepius peccare. In eos igitur concinne dicetur, qui vel in simili re crebrius peccant, vel culpam eamdem iterum atque iterum committunt. Primus enim lapsus vel casui datur, vel imprudentiae; iteratus stultitiae tribuitur, aut inscitiae.



TEMPLUM MARIALE APUD EREMITAS (EINSIEDELN)

*Salve, quae mediis surgis in Alpibus,
Sedes cara Deo, sacra Deiparae! ⁽¹⁾
princeps Helvetiorum
salve gloria montium!*

*Heic olim, procerum natus in aedibus,
Meinradus ⁽²⁾ latuit tesca per aspera,
felix psallere divae
coram Matri Imagine.*

*Icon alma pium vi trahit illice
Bennonem, ⁽³⁾ populo quem rapit Alsato;
Suevum par Everardum ⁽⁴⁾
vis invadit et abripit.*

*Sparsos tum monachos colligit ambitus
vasti coenobii; grandius excipit
templum Virginis aram
primaevumque Sacram.*

*Nox (testata cano) labitur aethere
Christus, caelicolis cinctus ovantibus,
aeternusque dicanda
sacrat limina Pontifex.*

*O ter sancta Domus! te colat osculis
aetas nostra suis, priscus ut obtinet
patrum mos et avorum
regnis a Carolingicis.*

(1) In composita voce *Deipara*, metri causa, longam feci secundam syllabam, quae ceterum in voce simplici *Dei* produceretur. — Hoc autem vocabulo, in Codice Iustinianeo, latine redditur *Θεοτόκος*.

(2) Meinradus, filius Bertholdi e nobilissima stirpe de Hohenzollern, amplexus Institutum Sancti Benedicti, anno DCCCXXIV cellam sibi et sacellum exstruxit haud longe a laeu Tigurino apud Helvetios, in ea alpina solitudine, quae deinceps appellata est *Einsiedeln*. Atque is ortus fuit oppidi cognominis et monasterii, toto orbe celeberrimi.

(3) Benno, abdicato munere, quod apud Alsatos in capitulo cathedrali Argentoratensi gerebat, anno CMXXV in eremum Einsiedlensem secessit, ubi et supremum diem obiit.

(4) Bennoni successit anno CMXL Everardus, origine Suevus. Is vastum aedificavit monasterium, in quo monachos Einsiedlenses, ad id temporis dispersos, uno sub tecto collegit, quorum primus Abbas fuit. Amplum quoque erexit templum, in cuius ambitu excepta est primaeva aedicula Meinradiana, qualis etiam in praesenti conspicitur. — Prodigiousam fuisse huius aedis dedicationem, veterima testantur monumenta, historicis probata. (Vid. WETZER u. VELTE, Kirchenlexicon, verbo *Einsiedeln*).

*Iam quis, diva Parens, dum rota vertitur
saeclorum decies, quis tua dicere
pertentet bnefacta,
impertita vel improbis?*

*Tu plagas animi, tu quoque corporum
morbos voce fugas, « Omnipotens
supplex » dicta, roganti
cui nil Filius abnegat.*

*Te praesente, fugit febris; in arida
sanguis membra redit; candida cernitur
lux caeco; pietatis
fax extincta renascitur.*

*Testes atque vades sint anathemata,
quaes suspensa nilent aurea, gemmea
ante altare, tuamque
clamat munificentiam.*

*Virgo dives opum, pergit clientibus
rivos largifluos fundere munerum.*

*Prolem, cui Benedictus
nomen legifer indidit,*

*omnem tu valida protege dextera;
at sit cura tibi prima Sacrum,
quo non clarius ullum
sol perlustrat in Alpibus.*

*Arride et populis, quos tibi plurimos
quaevi orta dies convehit: Alsatos,
Rhaetos, Vindelicosque,
Gallos praeter et Italos.*

*Hos, lingua varios, tu, precor, effice
concordes animo, sacra Rosarii
laetos texere sarta,
doctos solvere cantica.*

*Tutrix Helvetiae! cuius amabile
nunc tandem solium miror et oscular,
sero compos in aeo
votorum iuvenilium: ⁽¹⁾*

*salve, Diva, mihi; tu neque supplicem,
quaeso, sperne senem: fac mea diluam,
flens, commissa; benignum
da post funera Iudicem.*

FRANC. XAV. REUSS.

(1) Auctori, iuventutem agenti, fixum erat templum Einsiedlense invisere. Verum exsequendo consilio improvisa obstitit causa, nuper tandem, post annos L, sublata.

LUDI PUEGORUM APUD ITALOS

De Tingolo.

— *Tingolo?* Quid sibi vult hoc novissimum vocabulum?

Me paucis absolvam, candide lector, si vel tantillum moraberis.

Scito enim, hoc nomine gaudere quoddam ludendi genus, in pueris subalpinis maxime vigens. Namque ipsum non modo iuvenum vires exercet, easque mirum in modum auget atque excitat, sed, quod pluris aestimatur, prudentiam in primis movet atque ingenii luetantium industriam. Si tu fortasse vim ipsam vocabuli inquirere aliquando desideras, atque a verbi origine sensum expetere, hic ludorum mos, mea quidem sententia, a *tangendo* oriri optime videtur. Et re quidem vera, tota ioci vis in eo posita est, ut si quis ab adversario vel leviter tangatur, subito ex certamine inferior evadat.

Iuvabit tamen rem fusius explanare, ut magis magisque ioci indolem mente percipere possis.

Sunt hinc inde principes, qui sorte sibi eligunt socios, quibuscum decertandum est. Adsunt ipsi, bini, bini, cursu pares atque agilitate. Singuli vultu oculisque praeclara aetatis munera praeferunt membrorumque celeritatem iactant, quo in aemuli comparatione prior a principibus quisque iudicetur. — Oh! vos qui plantis incertis, vetuli, progredimini, procul hinc, procul hinc recedite. Omnes iuventute pollent qui ad *tingolo* procedunt.

Hisce rite peractis, adsunt duae acies, quarum altera, quae « superior » vulgo appellatur, se se occultare diversimode studet; altera, quae fortassis « inferior » esse videtur, ad inquirendos atque incusandos adversarios impigre certat. Dum vero socii alii alio dilabuntur; et qui ad metam obtinendam pergunt, et qui se se occultant, uno ore hinc inde proclamant: *Tingolo! Tingolo!* Tunc incipit ludus.

Quam vere, quam apte est dicendum: Abditus in terea latet et secretus alumnus!

Tunc demum inter sociorum timorem, qui septa, ut ita dicam, custodiunt, caute omnino procedunt, neque omnes, modo sed electi, attentis oculis huc respiciunt, maxime timentes, ne quis ex improviso in eos prosiliat, eosque praeoccupet, priusquam ad metam tamquam ad tutaminis locum pervenire potuerit. Validiores enim semper ex more progrediuntur, dum minuta plebes facilis praesidio latet.

En audacior subito adcurrit, atque e latebris egressus, pro viribus adversarios arripere cupit. Tunc quam celerime omnes e medio aufugiant et ad metam contendunt. Ars erit atque studium si vel unum leviter tangat. Ad hoc tendit, hoc in primis atque unice exoptat, et pro viribus in hoc nititur. — Si enim omnes secure ad metam pervenerint, tunc studiose cum insidiis altius inclamat: « Exite! Exite in opem! » Sic faciunt, ut adversarii qui stant in abditis, istis vocibus falso adlecti, in aciem se se frusta proiciunt dum, citra periculum, alii obtinent metam.

Si forte adveniat, ut quis lentior fugerit, et minime

metam contigerit, et extra aliquantisper manserit, quo facilius in adversariorum potestatem cadat, auxilium a ceteris suis obsoleta voce petitur, et turba *vasto submoto recessu* in incautum adcurrit, eumque tangendo in servitutem redigit. Saepe quoque contigit ut qui prudentia ceteris praestat membrorumque celeritate, suis apud metam relictis, astute ad eos progreditur detegendos, nomine eos clamat ut e latebris securius exeant; errorem quoque simulant, ut alii aliis opem putantes adferre adcurrant. *Ac velut occultus, securum prodit in hostem Miles*, nunc iste, nunc ille in aciem celerrime currit.

Cave tamen ne sis imprudens, ne quis e latebris egressus iuxta ex inopinato irruat! Ac propterea ne ex eas rogo, portum fortiter occupa, ne tibi confidentius celeritati tuae credas, ne tibi forte accidat quod Horatius navi Virgilli pertimescet:

*Tu nisi ventis
Debes ludibrium, cave!*

Caute incede; adest enim in arte periculum. Hie alieno se pileo tegit, ille mentita veste induitus adparet, ut falso incusetur; ille humi serpit, hic secreto propius, mutato loco procedit, ille denique in medium progreditur, socios inopinanter adoritur. Tunc quae luctantium confusio, quae animorum trepidatio! Omnes veluti ex composito festinanter progrediuntur. Qui pluribus humi modi fallaciis inititur novisque callet, maximi aestimatur, et inter suos maioribus laudibus ad sidera tollitur.

In puerilibus istis ludis, uti perhibent, in primis Napoleo ille magnus cum sodalibus adhuc puer se se exercens enuit, et qui paulo post ad maiora provectus, strenuus imperator evasit ut cum omnibus, quos antiquitas nobis tulit de re militari certaverit, suos amicos studiose in ludis edocuit.

Tune omnes eo potissimum contendunt, ut vi aut astutia victores fiant. Videas ne tua incuria vel audentia decipiari. Maxime enim fuerit universorum indignatio in eum, qui imprudenter rem suorum perdiderit, vel in insidias ceciderit.

Pugna iterum ferox mirum in modum exardescit, etsi quis erravit, et prudentiore incessu progreditur, atque ita ut unus et alter securior procedat, alios provocet; sieque ad victoram tutius adveniant.

Si parva licet componere magnis, in mentem revoca episodium illud clarissimum quod suavissimis versibus Torquatus noster effinxit de Tancredi duello cum Clorinda virgine. Hanc enim nimius sero regressam a praelio ad urbis portas, ob hostium terrorem occlusas, ille offendit, eamque ad pugnam ferociter adgreditur. Haud aliter inter luctantes, si quis forte inaniter metuam cursu contingere potuerit. Tunc acriter pugnatur, hic ut ad metam tandem perveniat, ille ne eam pertingere possit. In his duobus utrinque omnis maxima Victoriae exspectatio, omnis animorum laetitia atque formido: et ambo pergunt adversis frontibus pugnare. Cui victoria? Illi qui vel socium eludens ad metam se feliciter contulit, vel qui novissimo nisu alium manu tetigit! Sic tandem haec vel illa pars primas retulit.

Tunc plausibus ex ipsis populi laetoque favore!

SUBALPINUS.

COLLOQUIA LATINA

Sero scholam petentes, (1)

EMMANUEL. — Salvus sis, Faustine.

FAUSTINUS. — O salve, Emmanuel. Quo ire tendis?

E. — In scholam. Quo te pedes?

F. — Eodem.

E. — Ubi libri? Ubi atramentarium?

F. — Sub pallio et axilla gestio.

E. — Audistin' aeris signum?

F. — Pridem.

E. — Ain' tu pridem? Vae nobis!

F. — Quid consternaris? aut quid metuis?

E. — Quid metuam? Quod solent sero venientes. Ah!....

P. — Ego sane probabilem excusationem adducam.

E. — Obsecro, quam?

F. — Mater me cum mandatis ad sororem misit, cuius responsum renuntiandum mihi fuit domum, et absunt illius aedes a nostris longius; eo tardius venio.

E. — Quid si hanc rationem tamquam commenticiam repudiet magister?

F. — Fiducia est id minime facturum. Nam me ab huiuscemodi mendaciunculis temperare non raro expertus didicit.

E. — Me miserum malique fati! Quid confinbam quum somno captus nimius ego obdormierim? In extremo sitae sunt fortunae meae, nec quid agam certum est.

F. — Si rem ipsam ingenue confitearis, forsitan delicti gratiam magister faciet. Quid forsitan? Certe faciet; exonera te metu.

E. — Obtemperabo bene monenti; abstersisti metum. At enim ecce aliud mihi timorem obiicit.

F. — Aliud? Dic, quae so.

E. — Formido male, ne hinc elapsus, alibi incasses incidan.

F. — Alibi?

E. — Quae memoriter pronuncianda praescripta sunt, haud teneo absolute.

F. — Suspiciari fas est, non te inter primos interrogatum iri. Tum ego, qui secundus tibi sedeo, suggeram dissimulanter et fideliter.

E. — Id amabo, adiuva me. Summum tibi beneficium debuero, hoc si perlectum dederis; nam nunc spes opesque meae omnes in te uno positae sunt.

F. — Ambulemus contentius.

E. — Tam strenue te consequi vix possum.....

(1) Ex opere IACOBI PONTANI, cui titulus *Progymnasmata latinitatis* pars. sim retractavit I. F.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de Religiosis.

Declarationes decreti «Inter reliquias» circa servitium militare Sodalium Religiosorum.

Edito decreto *Inter reliquias*, die 1 mens. Ianuarii MCMXI, circa servitium militare a viris religiosis praestandum, (1) nonnulla exorta sunt dubia, quorum solutio expedita et data est a S. C. de Religiosis, prout sequitur :

I. — Utrum vota perpetua emissa ante promulgationem Decreti *Inter reliquias*, cessent ipso facto, quando servitium militare activum assumitur? — *Resp.* Negative.

II. — Utrum vota temporanea item cessent ipso facto, quando idem servitium assumitur? — *Resp.* Negative per se, seu vota non cessare ipso facto, initio servitii militaris; posse tamen Religiosos petere votorum dispensationem a prima die militaris servitii, iuxta art. VIII decreti *Inter reliquias*, si perseverare non intendant; in nullo casu novam votorum professionem emittere posse, nisi expleto servitio militari, etiamsi tempus professionis durante servitio militari expiraverit.

III. — Utrum valida sit professio solemnis in Ordinibus, et perpetua in Institutis votorum simplicium, emissa in bona fide ab eo qui falso existimavit se a servitio militari exemptum esse? — *Resp.* Negative.

IV. — Utrum valida sit professio solemnis in Ordinibus et perpetua in Institutis votorum simplicium, emissa antequam completus fuerit annus a die expleti servitii militaris activi? — *Resp.* Negative.

V. — Utrum integer annus defluere debeat, antequam ad professionem solemnem vel perpetuam admittatur ille qui per tres tantum menses servitio militari activo addictus fuit? — *Resp.* Negative, sed necessarium esse et sufficere in casu trimestre, vel spatium temporis brevius anno, correspondens tempori in servitio militari transacto.

VI. — Utrum ad professionem solemnem, vel perpetuam, admitti possint ii Religiosi, qui, servitio militari activo subiecti, firmum tamen habent et manifestant animum sese exteris Missionibus addicendi, in eisque permanendi usque ad tempus a lege civili statutum ad perpetuam exemptionem a servitio militari adipiscendum, ut verbi gratia, in Italia est trigesimus secundus aetatis annus? — *Resp.* Negative per se. Concedit tamen S. Congregatio ut ultimo studiorum curriculi anno liceat iuvenes ad sacras Missiones intra annum profecturos, ad solemnem, seu respective ad perpetuam professionem admittere et ad sacros Ordines promovere, emisso prius ex parte candidati iuramento de servitio Missionibus praestando usque ad tempus praefinitum a lege civili ad exemptionem obtinendam, et onerata Superiorum conscientia de eiusdem executione.

(Ex deer. d. 1 mens. Februarii MCMXII).

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XIV, n. III, pag. 43.

Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

Circa doxologiam & Prima et Praefationem propriam in occurrentia Festorum B. M. V. ad instar simplicis redactornm.

Quum ex Constitutione Apostolica «Divino afflato» Festum B. V. M. ritus duplicitis maioris, aut dies Octava eiusdem Deiparae, si in Dominicam occurrant, amodo simplificari debeant, S. R. C. in sequentia dubia proposita ac resoluta fuerunt prouti sequitur :

I. — An in predicto casu conclusiones Hymnorum et versus Responsorii brevis ad Primam esse debeant de ipsa Beata Maria Virgine? — *Resp.* Affirmative, nisi dicenda sit propria Temporis, et exceptis Dominicis Adventus.

II. — Quae Praefatio in casu dicenda sit in Missa? — *Resp.* Praefatio Trinitatis, nisi occurrat Praefatio de Tempore aut alicuius Octavae Domini, iuxta Novas Rubricas, tit. X, n. 4.

(Ex deer. d. xxx mens. Decembr. MCMXI).

De festis ritus duplicitis Maioris octava condecoratis.

Quaedam Festa, quamvis per pauca, ritus Duplicitis Maioris pro aliqua particulari Ecclesia, transactis temporibus Octava decorata fuerunt. Quum autem harum Octavarum celebratio novissimis Sanctae Sedis dispositionibus minime congruat, Sacra Rituum Congregatio statuit et decrevit ut Festa ritus Duplicitis Maioris Octava gaudere nequeant; et si quae huiusmodi Octavae iam concessae invenirentur, eas amodo declaravit suppressas. (Ex deer. d. xxx mens. Decembr. MCMXI).

De Simplicibus antiphonas proprias habentibus.

In Festis simplicibus quae habeant ad Laudes antiphonas proprias, ex alio Festo desumptas, ut in Festo S. Agnetis secundo, ad Laudes dicendi adhuc non sunt psalmi de Dominica cum antiphonis Festi simplicis; sed antiphonae et psalmi de Laudibus feriae occurrentis, et a Capitulo et deinceps de Festo simplici. Item, in Officio S. Mariae in Sabbato ad Laudes dicendae non sunt antiphonae ipsius Officii cum psalmis Dominicæ; sed antiphonae et psalmi de Sabbato occurrente, et a Capitulo et deinceps de S. Maria. (Ex deer. d. xxvii mens. Ianuarii MCMXII).

De quibusdam festis diebus Dominicis hucusque affixis.

Quum ex novis Rubricis festa diebus Dominicis affixa, nisi sint festa Domini aut Duplicia primae vel secundae classis, amplius in ipsis celebrari nequeant, S. Rit. Congr., attentis etiam praescriptionibus temporariis memoratis Rubricis adiectis, in sequentes declarationes evulgavit :

I. — Festum Commemorationis Omnium Sanctorum S. R. E. Summorum Pontificum in locis, quibus idem Festum, sub ritu duplii minori vel maiori, pro Dominica prima libera post Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli iam concessum est, adhuc celebrari licet, die prima mensis Iulii fixe adsignata.

II. — Item Festum Commemorationis SS. Reliquiarum in locis quibus idem festum pro aliqua Dominicæ,

sub ritu dupli minori vel maiori, iam indultum est, in posterum celebrari adhuc potest, die quinta mensis Novembris fixe adsignata.

III. — Si aliquod Festum Ecclesiae Universalis, sive Beatae Mariae Virginis, sive Sanctorum, sub ritu dupli minori vel maiori, alicubi die Dominica concessum fuerit celebrari, amodo in die sua omnino reponendum est.

(Ex deer. d. ix mens. Februarii MCMXII).

Dubia varia.

I. — Festa B. Mariae Virg. aut Sanctorum, Dominicis affixa, et a locorum Ordinariis in perpetuum simplificata impediuntne recitationem Suffragii ad Laudes et Vespertas, Precum ad Primam et Completorium, Symboli Athanasiani ad Primam et tertiae Orationis in Missa? — *Resp.* Affirmative in omnibus.

II. — Quando in Dominica occurrit Festum B. Mariae Virg. perpetuo a locorum Ordinariis simplificatum, conclusiones Hymnorum et Versus Responsorii brevis ad Primam eruntne de ipsa Beata Virgine, ad normam Decreti d. xxx mens. Decembr. MCMXI ad I^{um}? — *Resp.* Affirmative.

III. — Si Festum duplex secundae classis in Dominicam incidat et commemorandum sit Festum aliquod simplificatum, quod pér se habeat Praefationem propriam in Missa, vel occurrat infra Octavam aliquam similiter Praefationem propriam habentem, legendane est Praefatio de Trinitate, vel potius Praefatio propria Festi simplificati, aut Octavae? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

IV. — Quum ex novis Rubricis Prima Vesperae de Dominica infra Octavam Epiphaniae, nisi Epiphania ipsa venerit in Sabbato, integrae amodo de ipsa Dominica dicendae sint, ultimus harum Vesperarum psalmus eritne *Laudate Dominum*, ut in primis Vesperis, vel potius *In exitu Israël*, ut in secundis Vesperis? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

(Ex deer. d. ix mens. Februarii MCMXII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Aprili MCMXII).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Ioannes Borghese, princeps Urbanus; Hernestus Schönberg-Roth-Schönberg, dynasta; De Vélard, comitissa, et marchionissa de Thomas de S. Laurent, e Supremo Consilio Catholicarum Mulierum in Gallia; Chigi, Urbanus princeps, eiusque familia; Philippus De Levis, comes; Severina Sapieha, princeps foemina; peregrinorum manus ex Hungaria, ex Gallia, ex Polonia, ex Neapolitana Dioecesi, ex Belgica, ex Austria; Coetus a S. Caecilia ad musicen sacram provehendam legatique omnes, qui Romae ius generalis conventus participes fuere; Angelus De Estrada, doctor, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Argentineae reipublicae apud Apostolicam Sedem; De Longhe, comes; S. Severinae Dux; Greuther, princeps; Czartoryski princeps.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur Ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Titulari ecclesiae archiepiscopali Seleuciensi in Syria praefecit rmum. d. Dominicum Serafini, hactenus archiepiscopum Spoletanum; tit. eccl. episcopali Arindelensi sac. Iosephum Enricum Conroy, Vicarium generalem dioecesis Ogdensburgensis, quem constituit auxiliarem revmi. d. Henrici Gabriels, episc. Ogdensburgensis; cathedrali eccl. Panamensi r. d. Gulielmum Rojas e Congne. Missionis et administratorem apostolicum eiusdem dioecesis Panamensis; tit. eccl. episc. Temnensi sac. Michaëlem Higgins, dioec. Tuamen., quem constituit auxiliarem revmi. dni. Ioannis Healy, archiep. Tuamen.; tit. eccl. archisp. Cyrrensi revnum. d. Ludovicum Szemreçsanyi, episc. tit. Magyden. et auxiliarem emi. archiep. Agrien., quem constituit coadiutorem cum iure futurae successionis emi. ac revmi d. Iosephi Samassa, Card. archiep. Agrien.; tit. eccl. episc. Martyropolitanae sac. Victorem Horváth ex dioec. Colocen., quem constituit auxiliarem revmi. d. Ioannis Csernoch, archiep. Colocen et Bacsien.; metropolitanae eccl. Urbinatensi sac. Iacobum Ghio, archiep. Ianuen.; cath. eccl. Thermularum sac. Rochum Caillandro, vicarium generalem et canonicum theologum cath. eccl. Uritanae.

Brevibus autem Apostolicis nominati sunt: Episcopus titularis Mylasensis r. p. Ioseph Maria Caro Rodriguez, vicarius apostolicus de Tarapacà; episc. tit. Olenensis r. p. Aloisius Silva Lezaeta, vicarius apostolicus de Autofagasta; archiepiscopus Antibarensis r. p. Nicolaus Dobrecic, e civitate vulgo Cettigne; episc. Martinicensis r. p. Joseph Malleret e Congregatione a Spiritu Sancto; episc. tit. Di-bonensis et Vicarius aplicus. Oceaniae centralis r. p. Joseph Felix Blanc, e Societate Mariae; archiep. tit. Amidensis et coadiutor enm iure successionis archiep. Brisbanensis r. p. d. Iacobus Duhig, translatus a Sede Episcopali Rockhamptonensi; episc. tit. Gordensis et vicarius aplicus. Orae Benini (*Costa di Benin*) in Africa Septemtrionali r. p. Ferdinandus Terrien, e Societati Lugdunensi Missionariorum ad Afros; archiepus. Atheniensis et delegatus apostolicus pro Graecia r. p. Aloisius Petit, e Congregatione Augustinianorum ab Assumptione; archiep. Corcyrensis r. p. Dominicus Darmanin, translatus a sede episcopali Syrensi.

— Inter episcopos Pontificio solio adstantes electi sunt rr. pp. dd. Mathaeus Harkins, episcopus Providentiae; et Alfonsus Archi, episcopus Novocomi.

— R. p. Dominicus Pasqualigo O. P. alter a Commisario dicitur S. Congregationis Sancti Officii.

— In coetum Advocatorum S. Consistorii adnumerantur Albertus Guidi juris doctor, et Vincentius Sacconi, comes, ambo ex Urbe.

ANNALES

Bellum inter Italos atque Turcas.

Recensionem superiorem de bello quod inter Italos atque Turcas geritur concludebamus, dubitantes ne voces procurandae pacis per ceterarum Europae nationum interventum, in facta reducarentur. Atqui si res tandem intercessit, laudabiliter incepto successus minime respondit. Turcarum enim gubernium ea consilia confirmans,

quae Caesaris nomine publici coetus sessiones inaugurans iam edixerat, de pace rationem nullam agitari posse declaravit nisi prius decretum quo Lybia Italicae civitati annexebatur revocatum fuerit Italicaeque copiae in patriam retraherentur. Aegri equidem somnia; eoque magis quod paucis ante diebus Itali occupationem suam produxerint orientem versus in Sidi Said peninsulam qua, — optime simulato excursu, — potiti sunt, ad Macabez caput milites exponentes, et Bu Kemez, Turcicum propugnaculum, oppugnantes; quod Turcae frustra recuperare conati sunt. Neque satis; eadem enim die qua in legatorum coetu firma voluntas omnibus viribus resistendi aperiebatur, Italorum classis ad Hellespontum apparebat. Quam quum iaculae ad ipsius freti fauces positi, aggredi ausi essent, munimentis crebrisque vigiliis brevi arces privatas viderunt, quae tantam ruinam reportarunt, ut fere omnino diruerentur. Hinc Turcarum clarigationes, qui Hellesponti aquis incendiariis globis commissis, naves cuiusque nationis a transitu prohibuerunt, exitum hunc vere plausibilem sibi procurantes, ut ceterae Europae nationes, in primisque Russica, damna commerciis suis parta vehementer denuntiaverint, dum Itali tranquille milites in Stampalia insula ponunt, praesidiaque hostium captivos faciunt; et in Lybica terra, propitiam aliquam occasionem expectantes minutisque proeliis pugnantibus, cunctantur.

In Mauritania.

At non Itali uni in Africa decertant. Galli enim in Mauritania et ipsi armis abstinere nequeunt. Foedus hi cum Mulay Afid Imperatore icerant, quo, decennalem historiam Europaearum contentionum circa illam regionem concludentes, in Galliae patrocinium Mauritania conferebatur. Nihil inde aliud restabat quam ut dissensiones cum Hispania de quarumdam regionum mutua concessione componerentur. Ecce autem ex improviso militaris seditio eaque gravissima Fez in ipsa urbe oritur, cuius causa apparens iussum quoddam novarum legum quod Mauritanis militibus nimis onerosum videatur; vera, contra, nec ea obscura, Gallicae clientelae acris indigenarum oppositio; quam ad efficienter coercendam non certe satis erunt viginti illa millia militum, quos Gallia in Mauritania habet. Nova igitur copiarum vis necesse erit, novaque belli pecunia.

Quies in Sinis restituta.

In Sinis tandem novi regiminis res placatae videntur. Gubernium namque Sun-Yat-Sen imperii summam, in quiete, Yuan-Shi-Kai definitivo gubernio tradidit, nec ullo modo obstitit quominus hoc sedem a Nankin ad Pekinum urbem transferret.

**PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis**

In **Anglia** lex Hiberniae propria, a Gladstoniana factio per annos triginta acriter propugnata, primum tandem favorabilia suffragia tulit.

In **Austria** Stuergkh, administratorum primus, Croatorum iura contra Hungaros strenue asseruit.

In **Germania** apud Berolinensem coetum, Imperii Cancellarius sapienti oratione rogationem legis defendit pro militaribus navalibusque novis expensis.

In **Hungaria** Kuen comiti, munus regendi imperii abdicanti, novum administratorum collegium suffectum, praeside Lukacs, iam aerarii praefecto.

In **Italia** coetus sessiones resumptae, ratisque habitis ferriviarum expensis, nova lex de iure suffragii amplificando in disceptationem vocata.

In **Russia** Sazonoffi oratione civilis Imperii ratio clare ac prudenter patetfacta.

In **Suetia** rogata lex de iure suffragii mulieribus exaggerando.

In **Turcarum Imperio** nova comitia favorabilia omnino cesserunt Iuvenum Turcarum factio, quam tamen dictant per vim huiusmodi exitum obtinuisse.

PER ORBEM

Die II mens. Aprilis MCMXII, in Belgica, opifices ad carbonem fodinarum extrahendum, ob denegatum sibi auctum salarii, Anglorum exemplum sequuti, ex condicto passim a labore recedunt.

— d. III Miharayama, vulcanus Iaponicae insulae Oshima, post quietem annorum octo supra sexaginta, ex improviso iterum ignes evomit oppidaque circum sepelire ita minitatur, ut incolae in scaphas aut vicinas terras perfugere coacti fuerint.

— d. V Mollendo oppidum in Peruviana civitate fere omne immani incendio absuntur.

— d. VI Mississipi flumen in Nordica America, oppositis hinc inde molibus abruptis, campos et oppida per aquarum cursus inundat magna tum rerum tum hominum ruina.

— d. VIII ad Glaronam in Helvetia moenia forte deteguntur vetustae urbis nomine Wichlenbad, anno MDCCCLXII terrae motu, ut creditur, sepultae.

— d. XI Lutetiae Parisiorum vita fungitur Gabriel Monod, historicus.

— d. XII Bruxellis nordica ferriviarum statio incendio valde pessumdat.

— d. XIV Lutetiae Parisiorum brevi morbo absumentus septuaginta et septem annos natus obit

Henricus Brisson, publici Gallicorum coetus legibus ferendis praeses.

— d. XVI maxima quae huc usque vectoriarum navium exstructa fuerit nomine *Titan* ab Anglia ad civitates foederatas Americae septentrionalis primum profecta, noctu, in immensam glaciei molem ab arctico polo procedentem occurrent, disiicitur atque submergitur. Mille et sexcentae circiter humanae victimae inde heu lugentur!

— d. XXII venti vis in Colorado Americana regione furens, quinquaginta et ultra domus civitatis Hennessey solo aequat.

— d. XXV Venetiarum turris, abhinc annos novem prolapsa, civiumque omnium firma voluntate ad caelum rursus elata, sollemni ritu inauguratur; aeraque munificentia Pii X. P. M., quandam Venetorum Patriarchae, refecta, publice dedicata sunt.

— d. XXVIII Damasci emporia pleraque flammis vorantur.

— d. XXIX Vedrines, inter Gallicos aviatores valde celebratus, a Douai urbe profectus, improviso machinae vicio ad Sancti Dionysii oppidum, in terram praecipitat, graviterque in capite vulneratur.

— d. XXX, gasio forte incenso in fossilis carbonis fodinis ad Tokium, Iaponicam urbem, cunicularii ducenti et octoginta misere pereunt.

Vectoria Graeca navis nomine *Texas* Thessalonicanam petens, in incendiarium globum ex iis, quos Turcae contra Italos in mari posuerunt, mala sorte offendit ac subruitur. Ex viatoribus centum quinquaginta duobus, vix nonaginta, iisque maxima ex parte vulnerati, superstites evadunt.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

De Hautontimorumeni Terentianae prologo scripsit IOANNES CAPOVILLA. — Salae Consilinae, typis F. Auletiae, MCMXII.

MAURICE BRILLANT, *Le Charme de Florence*. — Lutetiae Paris., edid. Bloud et Soc., MCMXII. (Ven. lib. 3,50).

PIERRE GAUTHIEZ, *Contes sur vénin. Toscane et France*. — Indidem. (Ven. lib. 3,50).

In constitutionem «Divino afflato» SS. D. N. Pi Papae X de nova psalterii in Breviario Romano distributione et in Rubricas ad normam ipsius constitutionis servandas commentarium scripsit DR. PETRUS PIACENZA, S. R. C. Protonotarius Apost., in Pont. Semin. Rom. S. Liturgiae professor. — Editio altera. — Romae edid. Desclée et Soc. MCMXII. (Ven. lib. 2).

P. GILLET. *L'educazione del cuore*. — Traduzione dal francese. — Indidem. (Ven. lib. 2,50).

E. CRAPEZ. *La Venerabile Caterina Labouré*, Figlia della Carità di San Vincenzo de' Paoli (1806-1876). — Traduzione dal Francese — Indidem. (Ven. lib. 2).

A. REGNIER. *San Leone Magno*. — Traduzione dal Francese. — Indidem. (Ven. lib. 2).

M. LEPIN. *Vangeli canonici e Vangeli apocrifi*. — Traduzione italiana su la terza francese. — Indidem. (Ven. lib. 1,20).

GIORGIO KESZLER (G. Romain). *L'inquisizione. Suo valore religioso, politico e sociale..* — Traduzione dal francese. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

GABRIELE D'AZAMBUJA. *La giovane e l'evoluzione moderna*. — Traduzione italiana sulla seconda edizione francese. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

ID. *Ciò che per la donna ha fatto il Cristianesimo*. — Traduzione italiana sulla sesta edizione francese. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

STEFANO LAMY dell'Accademia di Francia. *Cattolici e Socialisti a proposito delle «Settimane sociali»*. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA

I.

(*Permutatio vocalis*).

A proficisci ad bella volentibus implorandus.
O invicta manet, dum mundi finis adesto.

II.

Frigore correptus *prior* ut flos floribus haeret,
Et sole adverso plus adamante micat.
Ultimus in doctrina *alter*, qui primus in arte.
Toto laetentur hortus et ora tibi.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA actionem dramaticam latini versibus scriptam et in tres actus distributam, cui titulus:

EUPLIUS

Aenigmata an. XV, n. II proposita his respondent:

1) Sol-amēn; 2) Sitis.

Ea rite soluta miserunt:

Aug. Scriban, *Iassis*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — P. C. Peltensburg, *Soeterwonde ad Lugdunum Batavorum*. — Petr. Fura, *Vico*. — Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia* — Iac. Fortina, *Arona*. — I. M. Meunier, *Corbiniaco*. — Fr. Mennini, *Florentiola*. — Paulus Dan, *Constantia-Tomis*. — Ad. Kozlowski, *Petricovia*. — P. Bernardinus a Monticulo, *Aveano in Marsis*. — Fr. Baturewicz, *Zyтомiria*. — Georg. Beothy, *Magnorvaradino*. — Lud. Kobierzycki, *Leopoli*. — Ioan. Sismondo, *Casali Montisferrati*. — Lucius Rhaetus, *Bucarestino*. — Steph. Dantas, *Natal in Basilia*. — Petrus Tergestinus. — F. Ortiz, *Morelia*. — Christ. Del Fierro, *Mexico*. — Nic. Endrigi, *Salisburgo*. — Rich. Müller, *Berolino*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Alb. Kain, *Dublino*. — Diom. Falva, *Constantia*. — N. Bianchi, *Augusta Taurinorum*. — I. Martins, *Philadelphia*. — R. Silvan, *Londino*.

Sortitus est praemium:

NICOLAUS ENDRIGI,

ad quem missa est IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI Milesia fabula, cui titulus:

ARRAE GORGONIAE

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

ANTHEA

(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).

Hic hospitibus humanissime exceptis villam suam utendam obtulit, urbi vicinam: quo tamen beneficio nihilo rectius Anthea se habuit, terroribus non immunitis, quibus adducta est in rerum omnium desperationem.

In atrio, quamvis et matutina tempora sunt et porticus opacet locum, caletur maxime. Prope aedem, ad palmam patulis diffusam ramis, Antheae lecticam deferrit Cinna iubet floribus ornatam ac hyacinthinis. Deinde assidens aegrae arreptisque eius manibus, quarum candor parium marmor extinxerat:

— Ut vales, — inquit — amica?

— Satis bene, — illa respondit deficiente voce, clausitque oculos, quasi petitura medicinam somno.

Cuncta silent: ramos inter levis aura susurrat.

Fons erat illimis, nitidis argenteus undis,

Et gramen circa quod proximus humor alebat.

Paulo post sopore excitata:

— Verene, — inquit — Cai, philosophus hac in regione versatur quidam, cuius ope aegri convalescunt?

— Hic eius generis medicos prophetas vocant. Atque ei profecto te curandam tradidisse, nisi et ipse circulator videretur. Is, quod contra leges et instituta civitatis plura in vulgus disseminaverit, capit is damnatus, iussu procuratoris est hodie cruci adfigendus.

Ad haec subtristis flexit illa caput. Cuius auctum pallorem intuitus Cinna:

— Medicinam — inquit — afferet dies.

— Mortis quidem, non vitae minister est atque sa telles dies.

Diu uterque conticuit, Cinna saepe oculos coniiciente in lecticam conspersam floribus, in qua, velut funebri lecto, composita iacebat uxor. Extrema vero is patiebatur cogitans, tam dilectae formae egregiaeque virtutis mox reliquum futurum nihil, nisi exigui pulveris modum. Quumque plane sentiret se non posse defunctae desiderium pati, consilia agitabat eam in conditorium prosequendi.

Inter haec rumor auditur levis, quasi pedum per caliginem furtimque sese admoventium. Visu exanguis horrescit Anthea, reductoque timidissime spiritu, attonita stupet. Occupabat enim miseram timor ne forte umbrae adventarent sibi saepius obiectae atque anteire solitae mortuum hominem immotis oculis vitreisque intuentem.

Tum Cinna, blande iniecta manu trepidanti:

— Pelle — inquit — vanum timorem, bonumque animum habe; nam et mihi rumor auditur.

Mox autem:

— Ipse est; Pontius venit.

Iamque ad tramitis flexum in conspectum se dabat procurator. Media hominis aetas; paullo plenior ac nitidum os resecta barba; arcessita quaedam sublimitas; fatigati animi et corporis habitus. Qui quum brevi adstitisset, in umbram palmae succedens:

— Salve, — inquit — vir nobilissime; tuque, diva Anthea, salve. Quantus hodie aestus afflat post noctem frigidissimam! Hic dies vobis faustus felixque sit, idemque initium afferat recuperandae salutis, Anthea, qua iterum vigeas niteasque uti flores, quibus est conspersa lectica.

Officiis ultro citroque habitis, procurator sedit, inspectaque attentius aegra:

— Solitudinis — inquit adducto supercilium — est aegritudo comes; abest a frequentia metus. Quamobrem quid in rem vestram esse mihi videatur quidque consilii vobis capiendum sit libere dicam. Hic profecto neque Alexandriae sumus neque Antiochiae, ubi agi aetas liceat, uti vos decet, vel in circo vel in theatro; quibus a deliciis huius populi mores sunt remotissimi. Heic nullus est fere sermo nisi de lege, quae plurimum negotii dat mihi misero et in quam cogimur tam frequenter offendere, ut malim commorari cum Seythis.

— Sed licet tandem scire quid moneas?

— Quoniam, ut aiebam, metu caret frequentia, velim spectaculo adsitis hominum trium, qui hodie dandi sunt cruci. Res curiositate non vacat, fietque clara atque exspectata magis propter solempnes paschatis dies. Multi enim et religionis causa et studio visendi supplicii convenient, maxime proximi quique e plebecula. Spero damnatos morituros fortiter. In his autem iuvenis est singularis quidam, qui se Filium Dei affirmat, miti ingenio instar columbae, eaque vitae innocentia, de qua nullum sit certe sumendum supplicium.

— Hunc ergo cruci addixisti innoxium?

— Quid facerem? Multa simul ac diversa angebant. Hinc avebam vitare molestias, illine non irritare crabones. Tanta enim invidia in eum hominem conflata est a principibus sacerdotum, ut querimoniae de me, quod remissius egerim, Romam usque pervenerint. Ceterum malum hoc ad civem romanum non reddit.

— Ex hoc tamen haud minor fiet sensus doloris misero.

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.